

**De psoriasi : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Joan. Joach. Frid. Schnuhr.**

**Contributors**

Schnuhr, Johann Joachim Friedrich.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Form. Brüsckianis, 1821.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/pznzjjx4>

**Provider**

Royal College of Surgeons


**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>







DE  
PSORIASI

---

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI  
MEDICORUM ORDINIS

IN  
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI  
UT  
SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA HO-  
NORES RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXI.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

JOAN. JOACH. FRID. SCHNUHR

BEROLINENSIS.

---

OPPONENTIBUS

F. BELTZ MED. CAND.

E. GROSHEIM MED. DRD.

A. RICHTER MED. DR.

ACCEDIT TABULA AENEA.

---

BEROLINI  
FORMIS BRUSCHCKIANIS.

Duo sunt praecipui medicinae cardines: ratio et  
observatio; observatio tamen est filum, ad quod  
dirigi debent medicorum ratiocinia.

Baglivius.



V. I R O

AMPLISSIMO, ILLUSTRISSIMO, MERITISSIMO

J. G. LANGERMANN

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, POTENTIS-  
SIMO REGI BORUSSORUM A CONSILIIS STATUS  
IN SUMMO MAGISTRATU RERUM SACRARUM  
AC MEDICARUM ET INSTITUTIONIS PUBLICAE,  
ORDINIS AQUILAE RUBRAE IN CLASSE TER-  
TIA EQUITI, PLURIUMQUE SOCIETATUM  
LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

HOC SPECIMEN INAUGURALE

PIA GRATAQUE MENTE

J. G. LANGERMAN

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTOR, POTESTIS  
SACRO REGIO LORUSSORUM A CONSULE STATUS  
IN SUMMO MAGISTRATU RERUM SACRARUM  
AC MEDICARUM ET INSTITUTIONIS PUBLICAE  
ORDINIS AQUIAE HURAE IN CLASSE TER-  
TIAE EQUIT. PLURIMUMQUE SOCIETATUM  
LITERARIARUM SOCIET. ETC.

D. D. D.

AUCTOR.



## Prooemium.

---

Quum latissimum rerum medicarum campum perlustrans, in themate circa quod dissertationem inauguralem conscriberem, eligendo diu haesitarem, id quod iam in lucem profero, prae ceteris me arrisit, omnino convictum, quod, novi quidquam conscribere, tironi sit difficillimum. Quoniam in nosocomio militari morbum, quem dicunt Psoriasin sat raro occurrentem, observare mihi contigit, hunc ipsum secundum naturam verbis simpliciter descriptum, Virorum Ill. Wil-  
lan, Alibert etc. experimentis ornare proposui. Non quidem me latet, rem arduam me aggredi, cum iam Ill. P. Frank de morbis cutaneis chronicis discerit:  
„Ardui scilicet laboris opus est, morborum tam in  
„constantium, tam longorum, tamque diversis sub  
„formis in cute luxuriantium fidelis descriptio; atque  
„huic rectius tradendae, pictorum potius penicilli.  
„quam, cui colores desunt, scriptorum calamus pares  
„esse videntur etc. (J. P. Frank de curandis homin



„morb. epitome Manhemii“ 1792. lib. IV de Impetiginibus p. 8.) et satis habebo, si opusculum meum non sine ulla litterarum utilitate a lectoribus habebitur. In magnis, igitur voluisse haec sufficiant!

## H i s t o r i a   m o r b i.

### §. 1.

Psoriasis (Psora, Psora leprosa, Herpes squamosus, Dry or Scaly Tetters, Dartre squameuse, Raude) status morbosus ille cutis dicitur, qui vel in hac, vel in illa corporis parte, epidermidem occupans squamosam illam reddit, cui tamen peculiare est, ut membro correpto moto, fissurae profundae cutis vel rupturae, ibi oriantur, ubi cutis maxime tenditur. Squamae vel discretæ, vel aggregatae apparent, quas intolerabilis saepe pruritus comitatur.

### §. 2.

Veteres medici voce  $\Psi\omega\rho\alpha$  morbos duos sat certe dissimiles amplectuntur; quorum alter ex pustulis ruptis, ulcera superficialia relinquens, contagio proprio propagatur,  $\Psi\omega\rho\alpha\iota\iota\epsilon\lambda\kappa\omega\delta\eta$  1) denominant; alte-

1) Galeni opera omnia Basil. 1542. Introductio et de differ. Puls. 4. 1. Aristotel. Problem. Sect. 7. Aetii Tetrabibl. l. IV. c. 1. p. 126-127. Paul. Aegin. lib. IV. cap. 2.



rum cutem squamis obsidentem simpliciter ψῶραν, nonnunquam ψῶραν τραχυτεραν, λεπερωδη 1) appellabant et nunquam per contagium propagari dicebant. Hippocrates et Galenus nomine ψῶριασις utuntur, solum ad designandum eum statum squamosum palpebrarum et scroti, quem pruritus simul atque ardor tingens, nec minus cutis aliquando erosiones concomitantur; 2) etsi veteres intimam cystidis urinariae membranam Lepra aut Psoriasi affici, quum sedimentum ex urina aquea, cruda, floccosum, furfuraceum decidit. 3) Inter medicos recentiorum temporum Cel. Willan primus est, qui nomen Psoriasis morbo cutis peculiari, huc usque ad Herpetis species annumerato, indiderit. 4)

Celsus sub nomine Impetiginis Psoriasin verbis sequentibus describit „alterum“ ait „genus est peius et „simile papulae fere, sed asperius rubicundiusque figuras varias habens, squamulae ex summa cute decidunt etc. 5) Arabes, Lichenem, Psoran, Psoriasin et

1) Galeni. de med. facult. lib. II. et Comment. in lib. VI. Hippocrat. Coi opera omnia Francof. 1621. Aphorism. Sect. 4. aph. 77. Aet. Tetrabibl. lib. IV. c. 1. p. 130.

2) Galen. de oculo. c. 7. Hippocrat. de visu lib. St. Blancardi lexicon med. edit. nov. c. notis Isenflam. V. II. p. 1020.

3) Hippocrat. Aphorism. Sect. IV. aph. 77. Epidemic. lib. 5. S. 7. et de natura hominum lib. 3. cap. VI. St. Blancard. l. c. V. II. p. 1012.

4) R. Willan Description and Treatment of Cutaneous Diseases 4to London 1789.

5) C. Celsus de medicina lib. V. cap. 28.



Lepram Graeco nomine Usagro comprehendunt. Serapion eam eruptionem papularum esse, dicit, quae variis figuris autem obsidet, quamque pruritus, fissurae asperitas cutis comitantur et squamae sequuntur. 1) Hanc nobis Haly Abbas de morbo designato descriptionem reliquit: „Petiginis autem chronicae et diuturnae in qua non excoriatur cutis, signa sunt, quod in profundo est membri et squamae ab ea tolluntur, rotundae quales piscium videmus squamas.“ 2) Auctores alii: Mercurialis 3) Hafenreffer, 4) Fernelius 5) Ettmüller 6) Psoriasin, aut Scabiem siccam denominant. F. Hoffmann sub nomine Scabiei siccae aut serinae de ea tractat. 7) Platerus 8) Bonetus 9) Heurnius 10)

1) Serapion Breviar. Tr. 5. c. 4.

2) Theorice lib. 8. c. 16.

3) Mercurialis de morb. cutan. Venetiis 1571. lib. II. c. 4.

4) Hafenreffer πανδοχειον αιολοδερμον, in quo cutis ei-que adhaerentium partium affectus omnes traduntur. Tübingae 1630. c. 3.

5) I. Fernelii Universa medicina. Traiecti ad Rhenum 1656. de exi. corp. affect. Path. lib. VII. c. 4. Ψώρα tertia species Impetiginis (haec enim a Scabie longe differt) qua cutis crassior, siccior, purior, tumetior, et serpentibus pustulis asperior evasit etc.

6) Ettmüller opera omnia. Lugd. Bet. 1690. cap. 7.

7) F. Hoffmann medic. ration. system. Halae 1739. Sicca scabies quando squa mosa atque crustosa est etc. Opera omnia phys. med. C. V. de pustul. et prurig. §. 3. p. 426.

8) F. Plateri Praxeos med. opus. Basileae 1656. v. 72.

9) T. Boneti Sepulchr. Genev. 1679. T. III. lib. IV. Sect. XI. p. 538.



Sennertus 11) Willis 12) Lommius 13) Plenck 14) speciem impetiginis esse existimant. I. P. Frank tanquammodo in describendo Herpete saepe statum squamosum cutis se invenisse commemorat. 15) A. G. Richter Herpetem squamosum siccum Psoriasin nuncupat. 16) In specie secunda ordinis Dartre apud Alibert descriptam pictamque videmus. 17) Batemann vestigiis Willemiani insistit, at varietates Psoriasis; infantilem et diffusam unum idemque morbum esse existimat. 18)

10) I. Heurnii Ultraiectini Opera omnia L. B. 1658. p. 156.

11) Sennert. pract. med. lib. VI. Wittenb. 1654. lib. V. c. 1. p. 25.

12) Willis de med. operat. Sect. III. e. b.

13) I. Lomnii observat. medicin. lib. III. Amstel. 1715 lib. II. p. 228. λεῖπην, ψῶραν, λεπραν ψῶραν sunt gradus tres Impetigines. Praecrassa cutis est, longaeque durior, ac magis tumens, eodemque siccitate dehiscens, passim finditur. magis etiam eroditur, squamulas subnigras remittit furfuribus similes. istud vitium Graeci ψῶραν dicunt.

14) I. Plenck doctr. de morb. cutan. Viennae 1776. p. 115.

15) I. P. Frank de curandis hom. morb. epitome Mannheimii 1792. lib. IV. p. 141. et 142.

16) A. G. Richter spezielle Therapie. Berlin 1818. 6Th p. 210.

17) Description des maladies de la peau par Alibert. Paris 1812. fol. p. 57.

18) P. Batemann pr. Darstellung der Hautkrankheiten etc. a. d. Engl. übersetzt v. A. Hahnemann. Halle 1815. p. 87.



## Diagnosis.

### §. 3.

Psoriasis est epidermidis asperitas squamosa fissurae cutis plerumque (rhagades) comitantur quamlibet fere ipsa corporis partem accedere potest. A papulis in epidermide parvis, rubicundis, quarum tactu melius, quam oculis prominentiae percipiuntur, in quadam parte cutis prorumpentibus incipere solet. Tercio vel quarto die, nonnunquam paulo serius, papulae istae increscunt, rubescunt et circa tubercula areolam incerti ambitus, saepe tactui durinsculam, renitentem animadvertere licet. Postmodum sensim sensimque papulae evanescentes in areolam confluunt, in qua squamulae discretas passim conformantur, quae excultae in media parte fusca adhaerentes ad marginem primum a cute seiunguntur. Quando omnia haec per triduum pluresve nec perstiterunt, squamae decidunt et loco eorum novae sed maiores modo definitio procreantur. Tota circa squamas epidermis aspera redita, finditur; lineae cutis tum fissuras formant et squamae nunc pluries reproducentur, quarum saepe ea observatur copia, ut mane ex aegrotantium lecto pugillatim eas colligere liceat. Si aut lavando aut unguentorum adhibitorum ope squamae amoveantur, superficies antea inaequalis, laevigatur atque nitescit et fissurae profundae epidermidis squamis tenuibus obducuntur. Latex serosus cum paucis sanguine commistus, effluit et mox, si squama violenter dirumpitur a cute indurescit. Tum denuo squamae conformantur, sensim sensimque auctae, huc illuc sese diffundunt. Simul



cum morbo decrescente, asperitas, fissurae cutis, squamae etc. evanescunt et epidermidis ex integro conformata, primum rubra, sicca rugosaque post hebdomades tres, quatuorve iustam texturam offert. Saepe eruptione papularum haud praegressa, pars quaedam cutis eo modo siccescit, exasperatur, rubescit et ut supra memoravi, interscissa et squamosa redditur. Frequentius tamen morbus incipit a maculis squamosis, nunc maioribus, nunc minoribus; magis, magisque diffusis progredientibus, quae ubi, quod saepius fieri solet, confluerint, totam extremitatem nonnunquam obducunt. Saepe exanthema unicam solummodo maculam, eamque squamosam, rubram, prurientem praese fert et consuetum decursum exanthematis absolvit. Interdum macula haec in regione temporali, in genis interdum in pectore, suris et circa carpum, praeter ceteris autem in parte posteriore, inferiore femoris erumpens per mensem et quod superat sine notabili mutatione in una alterave parte persistere solet.

#### §. 4.

Quamquam corporis partes omnes, quae epidermide gaudent, morbus invadat, praecipue tamen genas, palpebras et canthos oculorum, nec minus regionem temporalem, aurem externam, nucham, femora, genu et suras, antibrachium et dorsum manus sibi eligit; praeterea in fronte, in dorso, in abdomine et in partibus genitalibus nonnunquam maculae squamosae apparent. Saepe ab una ad alteram partem huc illuc vagatur, nec raro ad partem primo affectam recurrit. Frequentius alia corporis systemata non infestans, morbus mere cutaneus idiopathicus esse videtur, quem



notabilis dumtaxat pruritus atque ardoris molestia, praesertim nocturno tempore, comitatur. Fissurae cutis post eruptionem primam plerumque ortae, ubi, aut tanguntur, aut moventur artus, insignem certo dolorem cient.

In his eruptio exanthematis doloribus capitis, anorexia, vomituritione et aliis signis gastricis coniuncta apparet; in illis spasmi, dolor, frigusque extremitatum, nec minus corporis gravitas atque inertia eam antecedunt et tum fere semper morbus est symptomaticus. Eruptione peracta et durante morbo symptomata haec vel diminuuntur, vel omnino disparent, plerumque autem morbum esse rediturum pronunciant. Morbo progrediente et contumaciori malo macies non exigua supervenit, cum urina pauca, fusca, turbida, furfuracea 1) nec levis est de morbo hepatis vel lienis suspicio. 2)

Persaepe morbus mensem unum ad quatuor protrahitur, quo temporis spatio transacto, ubi non solvitur, diutius persistit et quamquam serius quoque sanatur, ex eo magis tamen timendum erit, ne iterum morbus erumpat, id quod semper gravitatem mali adducit. Sunt varietates morbi, quae hominibus infectis post tres quatuorve annos relictis, elapso tamen hoc temporis spatio, denuo invadebant. Qui iterum et iterum in morbum incidunt, frequentius sub finem hyemis aut vere ab hocce malo corripuntur.

---

1) K. Sprengel Inst. path. Amstel. 1814. c. X. p. 365.

2) Alibert l. c. p. 81. Le foie et la rate se tumefient et lorsqu'on touche le ventre, les malades se plaignent d'une vive douleur.



§. 5.

Pro variis Psoriasis phaenomenis tum figuram, tum sedem et decursum variaae ab auctoribus differentiae statuuntur, utputa hae: P. guttata. Will. (Dartre squameuse orbiculaire Alib.) Sunt maculae discretæ, incerti ambitus, diversae magnitudinis, nunc lenticulas, nunc maiorem nucem iuglandem adaequantes, squamis compositae et inflammatione exigua circumdatae. Margo earum non elatus, angulatus potius, quam circularis animadvertitur. Squama ipsa tenuis, facile a cute dissolvitur, superficie rubra et nitida relictæ. Frequentissime in nuchâ, pectore, antibrachio et femore, interdum in facie efflorescunt. Cum febricula in infantibus erumpunt et per biduum vel triduum in corpus sese diffundunt, sensim sensimque in adultis progrediuntur et diutius perdurant. Plerumque tempore vernali capitis, artuumque gravitas, nec minus praecordiorum dolor eas comitantur et ita prodire incipiunt; tempore aestivo, aut sponte, aut remediis aptis expugnatae, vere sequente denuo apparere solent et saepe sic per annos intermissiones tales agnoscunt. Decrescente malo, squamae decidunt, cutis autem colorem ex rubro violaceum per hebdomades plures retinet.

P. diffusa Will. Maculae maiores, rubicundae, irregulares, asperae, interscissae, passim squamis obsesae, in genis, mento, palpebris et artubus superioribus inferioribusque se produnt. 1) Squamae in me-

1) Sennert. d. med. pr. l. 5. c. 1. p. 30. Compare Plater. l. c. T. II, c. 17.



dio adhaerent, margines albidii et soluti apparent. Post aliquot hebdomades epidermis inter maculas sita aspera redditur, finditur, cutis fissurae profundiores oriuntur et squamae pluries ex cute decidunt. Saepe accidit, ut maculae confluant et sic partem totam affectam obtegant, atque pruritu et ardore ingenti molestant. Si malum decrescit, sensim sensimque asperitas cutis etc. disparent, squamae decidunt et epidermis nova conformatur. Doiores capitis, praecordiorum, in pueris et mulieribus interdum imo spasmi, extremitates frigidae antecedunt eruptionem, aut ipsum exordium comitantur. Per mensem unum ad quatuor morbus decurrit.

*P. gyrata* Will. Sunt striae angustae, rubicundae, siccae, squamis parvis obsitae, modo circulares, modo longitudinales, quarum hae saepe in processus vermiculares exeunt. Ut plurimum tamen intortae aut flagelliformes sunt: aliae interdum lumbricorum figuram magnopere adaequant et fissurae epidermidis in ea consueto profundiores aliquid ad similitudinem hanc conferunt. Notatu digna distributio aequalis striarum est. Willan, qui frequenter hunc morbum viderat, exemplum memorat, quo macula talis circularis in utraque mamma super papillam, et duae tresve aliae eaeque, vermiculares in utroque latere mammae sibi oppositae erant et distributio omnino aequalis macularum in tergo ostendebatur. Nonnunquam sese directionibus diversis in femoribus cruciant. Speciem leviolem malii huius in pectore et nucha mulierum, atque puerorum cute tenerrima praedictorum observavit; e circulis parvis squamosis parum a colore cutis diversis, consisten-



em, quae saepe cum P. diffusa in uno eodemque corpore existit, et in huius modum iterum ac iterum revertitur.

P. palmaria. Will. (Dartre squameuse centrifuge Alib. Herpes squamosus circinatus. Richt.) A macula parva, aspera, squamosa, malum incipit, quae sensim sensimque augetur et super totam volam manus sese propagat; rarissime accidit, ut ultra hosce fines proterediatur, nonnunquam autem in gradu inferiori superficiem internam carpi et digitorum obtegit. Superficies cutis, propter lamellas delapsas, aspera est, saepe colore fusco gaudet, at etiam epidermidis fissurae profundae sanguinem reddunt si digiti extenduntur. Ardor, atque dolor ingens, nec minus inflexibilitas malum comitantur. Vola manus ita correpta, malum etiam in plantis pedum erumpit sine fissuris tamen. Non raro P. palmariae P. praeputii supervehit, quae vero in gradu altiori Phimosin procreans, nonnunquam coitum difficilem reddit. Frequens quoque malum descriptum, in dorso manus in saponariis, bottricibus, et aliis opificibus quorum cutis mutationi subitae caloris atque frigoris exponitur, efflorescit. Aerarii et opificis ceteri, qui in metallis opus faciunt, malo saepe vexantur. Ex irritamento, quod pix efficit, qua utantur, sutores nonnunquam Psoriasi palmaria manifestantur, ceterum est malum pertinacissimum saepe annos perdurans, saepius autem expugnatum, pruritu ac ardore intolerabili antecedente, revertens.

P. inveterata. Will. (Dartre squameuse humide Alib., Herpes squamosus humidus s. madidans Richt., Psora



agria veterum). 1) ex statu fere universali squamosa cutis siccae, asperae et magis tumentis cognoscitur. Aut e *P. guttata*, aut e diffusa, iam longo tempore perdurante, oritur, si maculae magis magisque sese diffundunt, confluunt et sic denique cutem summam corporis, interdum parte superiore tantum faciei, vola manus et planta pedis excepta, squamis obtegunt. 2) Cutis reliqua tum rubra, rugosa, fissuris profundis praedita, ob asperitudinem et inflexibilitatem, motionem artuum impedit. Productio atque delapsus squamarum tam celeriter accidit, ut mane in lecto aegroti copia earum inveniatur. Urina nunc pauca, fusca, furfuracea est. Subter capillis etiam maculae rotundae erumpunt, quae serius in crustam albidam, squamosam confluunt, nec formationem pilorum impediunt, sed saepe aliquot per horas laticem serosum secernunt et pruritu intolerabili molestant. Ungues digitorum convexiores facti et in margine externo extumescences delapsi, denuo hoc modo corripuntur 3). Digitorum phalanges tumescunt. In cute abdominis squamae tenuissimae, subpellucidae conformantur, quae saepe magnis frustis separantur. In regione inguinali, in natibus, scroto a frictione partium, dum corpus movetur, excoriationes dolorificae oriuntur. Willan, tergum, nates et extremitates epidermide denudata et suppurantia sese vidisse, narrat. Secretio laticis sub

---

1) Aet. Tetrabibl. l. c. p. 113. 126. 130.

2) Willis l. c. p. 280. 290. F. Hoffmann Supplem. P. I. p. 131. 132. Schenkii Observ. med. rariae Francof. 1609. b. 5. de Lichene et Furfuribus.



ssquamis in gradu auctiori tandem aliquot post hebdomades minuitur et sensim sensimque epidermis nova procreatur, quae sicca atque aspera crebrius magnis frustis decedit. Id autem pluries consequitur et malum, sine notabili remissione decursum facit, cuius semper, praesertim aerate provectioni, certiores fieri, mequimus.

P. labialis, scrotalis atque infantilis mentionem quidem facere potuissem, sed silentio praetereundas eo magis mihi videntur, quoniam medici Cel. Alibert et Batemann 1) varieates has solum pro ratione partium affectarum diversas esse putant, tamen haud committendum est, in P. infantili supercilia defluere solere. 2)

### §. 6.

Arthritis atque Lues venerea praesertim cum Psoriasi complicantur. Si cum arthritide complicatur periodica est, locum mutat, atque saepe uterque morbus alternat, sic ut Arthritis dispareat, dum Psoriasis efflorescit et vice versa. 3)

Psoriasis cum Lue venerea complicata plerumque guttatam refert, squamae dumtaxat minores, maculae fuscores sunt, epidermidem ipsam tantum elevantes, si

1) Alibert l. c. p. 87. Batemann l. c. p. 96.

2) Gualteri Ryffii Schwangerer Frauen Rosengarten 2 Theil p. 254. Frankfurt 1603.

3) Galen. Isagoge Sect. 17. A. K. Lorry Abhandlung v. d. Krankheiten der Haut a. d. Lateinischen übersetzt von C. F. Held. Leipzig 1779. 1 Th. p. 568.



squamae conformentur. Frontem, pectus, regionem interscapularem et inguinalem primum occupat et saepius cum ulceribus faucium sese coniungit. Squamae mox decidunt, Hydrargyri sufficiente usu, tamen vero aliquot per hebdomades, extinctis symptomatibus syphiliticis, foveae, exiguae planae, albidaeque in cute remanent. Haec complicatio Psoriasis in cute Aethiopis colore albido gaudet et foveas nigerrimi coloris relinquit. Ubi ex adhibito Hydrargyro exanthema non repugnatur, plures per menses, sine ulla mutatione aut progressu macularum, persistit. Complicationem Psoriasis gyratae similem Willan describit. Striae aliae formam semilunatam, aliae ferreae soleae, aliae amuli figuram prae se ferebant et squamis parvis obsitae erant. Remediis nullis adhibitis, figurae descriptae augentur, denique vero ulcera superficialia oriuntur et in medio huius annuli cutem integram animadvertimus.

§. 7.

Psoriasin saepe ex Lichene evolvi, observationes veteres ac recentiores testantur, id quod praecipue tum fieri solet, si Lichen crebrius revertitur ac frictione crustas conformantur. 1) At etiam Prurigo senilis in Psoriasin exit 2).

Interdum P. inveterata in Lepram transit, quod verisimillime ansam praebet ut ea, idem morbus, qua-

1) Galen. de comp. med. s. lac. lib. IV. c. 4. Paul. Aegin. lib. IV. c. 3. Plenck l. c. p. 103.

2) Hippocrat. Epidem. l. V. Galen. de loc. affect. lib. II. c. 7. F. Hoffmann Suppl. T. III. p. 490.



lis Lepra habeatur et ut opinarentur Psoriasin, Lepram atque Elephantiasin tantum pro gradu differre 3) Sed quoad Lepram squamosam, speciem haecce Leprae, Psoriasi guttatae satis quidem affinis est, tamen magnopere ab ea differt; etenim: squamae Psoriasis sunt tenues, subpellucidae, contra in Lepra cito in crustas inaequales, scabrosas, sub atras concrescunt 1), in Lepra praeterea ungues canescunt, finduntur, crassescunt, emoriuntur et decidunt, Veneris immodica cupido ad est. In Elephantiasi autem, praecipue in extremitatibus et in facie, in partibus auribus confinibus in nonnullis cum febre manifesta, tumores nodosi, renitentes, colore ex fusco rubro aut livideo, magnitudine diversa in cute crassiori, fissa, insensibili occurrunt 2).

Discernitur porro Psoriasis a morbo quem Radesyge dicunt. Hunc morbum dolores artuum rheumatici, raucedo, et coryza praecedunt. Noduli coloris cuprei aut plumbei, qui in ulcera maligna transeunt et primum faciem, tum alias corporis partes occupant; imo saepissime inflammatio praegravis et exul-

---

1) Galen. de simpl. m. facult. lib. II. et de subfigur. empir. Exegesis hominum Graecor. quae morbos definiunt. p. 291.

2) Alibert l. c. p. 83. Car ces squames herpetiques sont lisses, plattes, transparentes et souvent presque aussi fines que les pleures d'oignons, tandis que les écailles de la Lèpre sont larges, rougucuses, opaques et souvent presque aussi épaisses que la peau de certains animaux.

3) A. G. Richter l. c. T. VI, p. 417.



ceratio palati, uvulae, tonsillarum, nec minus caries vomeris et ossis palati 1) hunc morbum endemicum Norwegiae abundanter a Psoriasi differre indicant.

Pellagrae eruptionem sensus formicationis et ptyalismus copiosus comitantur; in partibus, vestibis non tectis atque radiis solis expositis, primum apparet et initio Erysipelas ad aequat, id quod minus in Psoriasi evenit. 2)

Ichthyosin, saepe vitium connatum, statum proprium et peculiarem, scabrum, squamosum, siccum, corneum, epidermidis, sine desquamatione et ulla perturbatione aliorum systematum 3) valde a Psoriasi differre satis elucet.

Pityriasis (Porrigo, Furfuratio) maculae sunt irregulares, ex parvis compositae, pluries efflorescunt, deciduntque et tantum caput atque eius partem capillatam occupant. Neque inflammatio antecedit, neque sequitur et pruritu ingrato dumtaxat molestant. 4) Ex consideratis hisce symptomatibus diversitas a Psoriasi haud obscure apparebit.

## Aetiologia.

### §. 8.

Experientia docet: praecipue eos, inprimis puellas, quibus teneram ac albissimam cutem, oculos coe-

---

1) Gedicke Dissert. in aug. med. de morbo, quem Radesyge dicunt. Berolini 1819.

2) Wagner u. d. Kur u. Erkenntniss d. Pellagra in Horn's Archiv v. m. Erfahrung 1820. p. 45.

3) Alibert l. c. p. 150.

4) F. Schmalz Versuch einer med. chir. Diagnostik. Dresden 1812. p. 179.



ruleos, flavamque, aut ex flavo rufam induit natura comam, Psoriasi obiiici; saepe puellae, quae Chlorosi laborant, hoc morbo infestantur. In Britannia etiam, ubi Psoriasis generatim crebrius reperitur, sexum sequiorem prae potiori tentare solet, nec raro accidit, ut puerperii tempore efflorescat 1). Temperamentum phlegmaticum et sanguineo-phlegmaticum ad producendum morbum dispositionem praebere videtur, 2) at eo magis illos tantum opifices invadit, qui mutationi subitae et noxiae caloris atque frigoris sese exponere, coacti sunt. Ac potius incidunt in morbum aetate proveciores, quam iuvenes. 3) Endemicam constitutionem in regionibus maritimis Britanniae atque Galliae praesertim negare non licet, quoniam auctores periti endemicum hanc morbum observaverunt. 4) Secundum observationes Willani tempore vernali, dum variabilis aëris constitutio vim nocentem in corpora cuti tenera praedita, exercet, occurrere solet. 5) Hippocrates eum morbis vernalibus annumerat. 6) Avicenna contra dicit: „Scias quad Scabies excorticata „et Impetigines multiplicantur in autumnno.“ 7) Sen-

2) Willan l. c. p. 129.

3) Alibert l. c. p. 85. Willan l. c. p. 128.

4) Alibert l. c. p. 81.

5) Alibert l. c. p. 87. et Discours préliminaire p. 3.  
Willan l. c. p. 129. Lorry l. c. T. I. p. 568.

1) Willan l. c. p. 129.

2) Hippocrat. Aphorism. lib. III. aph. 20.

3) Arisenna l. 4. c. 7. p. 3. et 6.



nertus, Willis, Lorry morbum vernalem esse dicunt, qui tempore aestivo evanescat 1).

§. 9.

Ex praedictis, quae causa Psoriasin inducat, iam satis elucet. Impedita partium, quae per cutis superficiem, sive sint sanae, sive morbosae, [expelli debuissent, exhalatio, aut immunditie, aut suppressione facta; mutatio subita caloris ac frigoris, hinc balneum frigidum, sudante corpore incaute adhibitum; nutrimentorum depravatorum usus, piscium et carnis sale conditorum, aut fumatorum, fructuum acidorum abusus, ab aegrotis accusantur, si morbus subito in cute erumpit. Psoriasin a moerore, tristitia, curis gravioribus, oriri, Alibert narrat. 2) Nonnunquam, dum menstruatio cessat, apparet, et in senibus, quibus parca est lotii secretio efflorescit 3).

An Psoriasis contagium gignat, atque eius ope propagetur, nec ne? alii affirmant, alii negant. Mercurialis, Sennertus et alii credebant contagio communicari 4). De Roussel casus duos, quo morbus cum concumbentibus infectionis ope communicatus est, 5) memorat. Willis, A. G. Richter, et Retz infectionem

---

4) Sennert. l. c. l. V. c. 1. p. 30. Willis l. c. p. 290  
Lorry l. c. p. 562.

5) Alibert l. c. p. 88.

6) J. P. Frank l. c. l. IV. p. 23. Alibert l. c. p. 86.

7) Menrurialis l. c. l. II. c. 4. Sennert l. c. l. V. c. 1. p. 28.

8) De Roussel Diss. de variis Herpetibus speciebus duplici proemio donata ab Med. Lugd. colleg. Lut. Paris. 1779. §. 180.



negant 1)- Sententiam non distinctam Willan atque Bateman de hac re proferunt. Alibert dicit: „Tous „les jours je fais des observations qui paroissent dé- „montrer le caractère non contagieux des Dartres. „J'ai exécuté plusieurs expériences sur moi en pré- „sence de mes élèves. Je ne regarde pas néanmoins „les différens essais commes décisifs et conclues etc.2)

Sed observatione non una constat, Psoriasin haereditariam esse. 3)

Sectionem cadaveris Alibert fecit et quid inven- rit, his verbis descripsit: „La partie des tégumens ou „étoit située l'éruption, herpétique étoit épaisse et „gangrénée presque dans tous ces points. Le tissu „cellulaire étoit comme lardacée et d'une couleur „jaunâtre. On ouvrit la poitrine, qui „laissa voir le „poumon droit enflammé. Le foie avoit acquis un „volume énorme et étoit tourné en gras. Les inte- „stins offroient des traces sensibles d'une inflammation chronique.“ 4)

§. 10.

E conditione sanguinis atrabilia veteres Psoria- sin originem trahere contendunt et nuperiori etiam

---

1) Willis l. c. Sect. 3. cap. 7. A. G. Richter l. c. p. 223. M. Retz des maladies de la peau et de celles de l'esprit. qui précèdent les affections du foie 3<sup>e</sup> édit. Paris 1790. p. 26.

2) Alibert l. c. p. 89.

3) F. Hoffmann Suppl. T. 2. cap. 1. de affect. haer §. 6. Heim in Horns Archiv f. med. Erfahrung 1810. p. 329. Alibert l. c. p. 85.

4) Alibert l. c. p. 90.



tempore opinio haec vetusta defensa fuit. 5) Postea medici eam in connexu eum Scorbuto esse, credebant, Cuius pretii Brownii theoria habenda sit, qui astheniam cutis pro causa proxima exanthematum chronicorum habuit, facile judicabis si animum referas ad symptomata ipsa morborum dictorum: semper actionem morbose auctam animadvertes et squamae, crustae etc. in cute residua certissime sunt processus chemicovitalis, quamobrem prae ceteris reproductionem pati arbitror et causam proximam potius in secretionem et excretionem vitiosa illorum quae per cutis superficiem expelli debuissent, ponendam esse censeo. Alibert huic opinioni accedit, sed organa secretioni et excretioni dicata nec ultra partem morbosam cutis, pati credit. 1) In perversa Azoti, quod per urinam excerni debuisset, ad cutim excretionem, ob magnum inter venas et transpirationem cutaneam commercium, Weinhold causam primariam exanthematum chronicorum quaerebat et argumentis his fulciebat: exanthemata repulsa saepe blennorrhoeam urethrae ac vaginae procreant, quae tantum redeunte exanthemate sanantur; semper ex lotio post exanthemata oblitterata, sedimentum proprio odore praeditum, separari etc. 3) Siquidem non in omnibus exanthematibus chronicis secretionem et excretionem lotii suppressam videmus,

---

5) Schelver Journal d. Naturwissenschaft und Mediz.

1 Bd. 1 St. p. 267.

1) Alibert l. c. p. 89.

2) Weinhold der Graphyt. ein neu entdecktes Heilmittel gegen die Flechten. 1818. p. h.



tamen in Psoriasi memoratu dignum est: saepius urinam parcam, fuscam, furfuraceam observari: remedia efficaciora viribus diureticis gaudere; analysin chemicam squamarum a Vauquelin institutam: 1° albuminis 2° mucii animalis 3° natri muriatici 4° natri sulphurici 5° acidi phosphorici 6° calcariae phosphoricae praebere 4).

## P r o g n o s i s.

### §. II.

Psoriasis, nisi cum aliis affectibus complicata, aut diutius neglecta, aut in caute suppressa, periculum affert, tamen ob proclivitatem ad recidivam semper prognosis est ambigua. 1) Neglecta autem saepe per annos perdurat, saepe aegrotos quod reliquum est vitae cruciat et tum morbus molestissimus foedus et nauseosus est, praesertim dolorificus, si, ut non raro accidit, maiores partes cutis una squamis denudentur et superficies denudata tum exulceratur. Frequentius, cum Syphilide et Arthritide complicata, revertitur. Saepe febre aut erysipelate sanatur, quamobrem maior vero hic medici requiritur perspicacia et praecautio, quoniam ex Psoriasis suppressione: diarrhoea, phthisis pituitosa, fluor albus et aliae blennorrhoeae oriuntur, quo suppressionem morbi, vomitus chronicus et convulsiones

---

3) Alibert l. c. p. 97.

1) Heim in Horns Archiv f. med. Erfahrung 1820. p. 326. Alibert l. c. p. 57.



secuta sunt; 2) de Roussel adeo casum proposuit, quo Psoriasis supressio, mortem adduxit. 3)

## C u r a t i o.

### §. 12.

Causarum remotio semper magni est momenti in curatione, saepe sola litem affert. Prae ceteris huc pertinet, ut aegrotus exhalationem naturalem cutis, summa munditie, aptoque atmosphaerae regimine promoveat et eam per corporis exercitia, balnea tepida et vestimenta accommodata fulciat. Sic et ab alimenterum crudorum, carnis, pisciumque fumatorum ac sale conditorum, ciborum farinaceorum, cerevisiae abusu abstinendum est. Diaeta sit blanda, parca atque iis, qui vitae lautae adsueta sunt, Alibert, iura e carne testudinum, limacum et lacertarum confecta suadet 4) aegroti aquam, lac praesertim asininum, bibant. Lotii secretio, inprimis iu senibus aquarum, quibus acidum carbonicum inest, usu, augenda est. Ceterum cavendum est, ne alvo adstricta aeger laboret, quapropter Tamarindis, Manna et aliis laxantibus frigidis, alvus laxa servanda est. Sordes gastricas, si adsunt, per emesin amove. Tali ratione, semper Psoriasin, ubi a causa locali orta est neque iam inveteravit, fugare poteris. Sed iis in casibus ubi symptomaticum malum

---

2) Falconer Account of the Lepra Graecorum in Memoir of the med. Society of London V. III. p. 396.

3) de Roussel l. c. p. 35.

4) Alibert l. c. p. 96.



fuit, iam diu perduravit et in habitudinem iam sese convertit, tantum exscissa radice mali sanationem perfectam exspectare ptes. At etiam in ambiguo est, an Psoriasis curationem radicalem in incremento, fastigio aut decremento morbi tentare debeamus, nec ne? etenim, siquidem animadvertitur, quod hic, sicuti in aliis exanthematibus chronicis, ut tutius sanentur, primum summam efflorescentiam eorum, exspectare nos oporteret, tamen exempla non desunt, quibus in incremento hic morbus sanatus est; quoad anni tempus, experientia docet, ver aptissimum esse, ei sananda.

Nullius remedii vis specifica contra hunc morbum laudari potest, sed generatim, ea remedia in usum vocari, quae effectus salutare in Herpete vindicabant; ex hac farragine ea solum eligo, quae ut optima, a peritissimis auctoribus de hac re, laudantur.

Inter vegetabilia praecipue usum eorum quae diuresin, diaphoresin promovent, commendantur. Hinc corticis Ulmi campestris, rad. Sarsaparillae, stip. Dulcamarae, ligni Sassafras, cort. Mezerei. rad. Saponariae, herb. Violae tricoloris, laudes. Ac etiam succi recens expressi Nasturtii aquatici, Leontodontis Taraxaci, Tritici repentis, Chelidonii maioris, vel solius, vel cum sero lactis commisti, in iis quae vitam lautam, otiosam degunt, cum successu adhibentur 1). Quamvis ex singulari Antimonii et Mercurii in totam reproductionem effectum, effectum optatum in Psoriasis non exercent 2), tamen in complicatione cum sy-

---

1) Alibert l. c. p. 95.

2) Alibert l. c. p. 95. J'ai même la conviction intime



philide Mercurii auxilio carere nequimus. Sulphur atque Calcaria sulphurato-stibiata ad morbo tollendo, inserviunt 3).

Externorum medicaminum balnea tepida aut calida, principem locum obtinent, quae sapone, furfure aut lacte conficiuntur, praesertim autem thermae sulphureae iam priscis temporibus laudatae 4). Medici Britanniae thermas chalybeatas laudant et certe in Psoriasi puellarum, Chlorosi laborantium nonnunquam auxilium praebebunt 5).

In Psoriasi inveterata, ubi iam exulcerationes oriuntur, Willan unguentum ex Empl. Lith. simpl. Unc. I., Cerae flavae Unc. I dimi., Olei Olivarum

que les antimoniaux tout preconises pour la guérison des maladies dartreuses ne sont utiles que par les parties sulfureuses qui leur sont unies; Quo ad Mercurii adhibitionem, exempla duo observavi in quibus frictiones Mercurii usque ad ptyalismum adhibitae nullam mutationem exanthematis adducebant, quod Willis de med. oper. p. 292 et Willan l. c. p. 136. testantur.

3) Alibert l. c. p. 73. Ac etiam in forma vaporis cum successu sulphur in usum vocatum est, vide: Mémoire et rapport s. l. fumigations sulfureuses appliquées au traitement des affections cutanées et de plusieurs autres maladies p. J. C. Gales Paris 1816, et de Carro in Salzburger m. chir. Zeitung 1817. 4. Bd. p. 335.

4) Avicenna lib. III. Tr. 2. l. 59. Hufelands Journ. d. pract. Heilkunde. 1803. 16 Bd. 2 St. p. 65.

5) Saunders Treatise on Mineral Waters p. 236. 276. et 290. Willis l. c. p. 212.



rec. q. s. ut f. l. a. Ung. commendat; in P. palmaria  
siccatem et asperitudinem cutis vaporibus aquae fer-  
vidae et chirothecis bombycinis, tollit 6).

Sub Psoriasi diuturna ac in habitudinem iam con-  
versa fonticulus in vicina exanthematis parte excitatus  
ad sanationem citiorem et tutiorem multa confert. 1)

Nec verò morbus revertatur, aeger omnia vitet,  
quae ei ansam praebuerint, necesse est; praesertim  
autem optimum effectum ex maris balneo, corporis  
exercitatione coniuncto, ob vires ipsius roborantes ex-  
spectari posse, mihi persuasum habeo. Si denique  
maligna morbi indoles omnem artis operam respuit,  
nihil aliud superest, nisi quod curam palliativam in  
usum voces.

§. 13.

Si observationem a me institutam adoperae me  
pretium facturum esse spero quum casus adductus, tam  
ob propriam formam et causam axanthematis, quam  
ob efficaciam nullam antimonii et Mercurii in Psoriasi,  
memoratu dignus, mihi videatur.

Clemens Skribzock, Polonus, XXII annos natus,  
mense Octobri anni MDCCCXVIII ad arma vocatus,  
(Glogaviam se contulit. Hic quum lustratus esset,  
utrum ad militiam idoneus foret, corpus artusque  
apta inventa sunt, at cutem crurum, lumborum, par-

---

6) Willan c. p. l. 135.

1) C. Dreyssig ü. d. künstlichen Geschwüre in Hu-  
feland's Jour. d. pr. Heilkunde 1803, 17. Bd. 3. St.  
p. 111.



tis inferioris abdominis maculae irregulares, rubicundae passim obtegebant, quae accurate adspectae, e papulis parvis, gregatim collectis, consistebant. De vita ante acta et de priori valetudinis statu retulit: variolis exceptis nunquam in prima iuventute se morbo implicitum fuisse, et causam macularum rogatus, hasce a puero, cum quo cubaverat, acceptas referebat, qui post plicae polonicae sectionem, maculis squamosis obtectus sit. In cute abdominis atque lumborum maculas plures asperas, siccas, dilute rubras S. osteudebat, quem tunc temporis locum squamae tenuerant, sed mox evanescebant, dum potionem a cingaro acceptam, vespertino tempore ebiberet. Addidit etiam: maculas, quae nunc in promptu essent, tantum aliquot per dies se notavisse et eas mox in squamas transituras esse se credere. Nosocomio militari receptus, postero mane in balneo e sapone confecto, cutis immunditiis liberatur et laxans ei porrigitur. Postera die papulae iam descriptae confluentes, prominentiae quasi vesiculares, figurae irregularis, coloris albicantis, in cutem procedunt. Prominentia aliqua disrupta, epidermidem nitentem, rubram oculis ostendebat, quae accurate perspecta papulis novis tecta inveniebatur. Maculas rubras iam supra memoratas, etiam in regione cubiti, in dorso, pectoreque ex ortas nunc pruritus atque ardor ingratus comitatur. Respiratio sat tranquilla, pulsus perinde ut sani. Cibi cupiditas et digestio sat bona. Urina fusca, parca. Antimonii crudi (3i per diem) usus in auxilium vocatus, balneis calidis quotidianis e Kali sulphurato confectis, adiunctis et decocto specierum lignorum pro



potu ordinario suffultus, per mensem et ultro levamen nullum mali adducebat. Per temporis huius spatium decursus morbi fuit hic: Prominentiae quasi vesiculares per dies quatuor aut sex concrescebant, insensim sensimque crascescebant et sic formam squamarum, modo figurae irregularis, modo quinque sex aut octangularis obtinebant. Die octavo aut nono tum primum squama subpellucida, tenuis, albido-grisea in latere altero dissolvitur, a cute, dum in altero cutis firmiter adhaerebat, in epidermide rubra, nitenti mox post delapsam squamarum papulae novae germina squamarum futurarum inveniuntur. Si prius squama quaedam disrupta erat, a cute, ex loco denudato, latex serosus sanguine commistus effluebat et hic serius quoque, motione minima partis, fissura profunda cutis simul cum doloribus vehementibus et sanguinis effluxu, dum aeger movetur, oritur. Frequentius fissurae hae in artubus oriuntur et longo tempore post sanationem strias rubras in cute relinquunt. Jam pluries hoc modo squamis conformatis et delapsis, remedia adhibita auxilium optatum non adducunt, contra morbus sub finem mensis Novembris fastigium acquirit, neque solum in cubitis ac in ipsis genibus, talis squamarum accumulatio invenitur, sed etiam regionem umbilicalem, nates et partes posteriores femorum copia squamarum obsidet. Semper matutino tempore multitudo earum e lecto aegroti colliguntur. Febris deciderat, urina parca, turbida. Die XXV m. Novemb. post reiectum usum Antimonii, nec non balneorum e Kali sulphurato, vesperi frictiones ex drachma Ung. Hydr. ciner. p, B. instituebantur; decoctum lignorum pro



potu porrigebatur. Diaeta parca, levis erat; athmo-  
sphaera calidiori fruebatur. Die X Decembris unciis  
duabus U. Hydr. cin. illitis, ob salivationem gravem  
inunctiones intermittuntur. Nullam mutationem mali  
M reurnis efficit. Aeger, quamvis debilitatus, tamen  
brevis restauratus est. Periculum vesicatorii ope, squa-  
mas destruendi, exulcerationem malignam effecit. Sub  
finem mensis Decembris ab alia methodo medendi auxi-  
lium exposcitur. Fonticuli in ambobus brachiis excitantur;  
mane et vesperi balneis calidis utitur et cum di-  
aeta levi, lac pro potu ordinario propinari iubetur  
Sub medela hac iam decem dierum spatio plures squa-  
mae decidebant et epidermis libera apparebat medio-  
que menses Ianuario loci sicci, dilute rubri cutis tan-  
tum exanthematis erant signa. Fissura vero longo tem-  
pore post in motu minimo facile denuo disrumpebant  
Ne morbus reverteretur fonticuli per annum dimidium  
fluebant neque iam morbus recrudescere visus est.



# CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

BEROLINENSIS

ADIECTUM.

---

Ego, Ioannes, Joachimus, Fridericus Schnuhr Berolini die septimo Aprilis anni MDCCXCIII natus et Christianae religioni secundum Lutheri formulas addictus sum Patri optimo, quo meliorem non exopto gaudeo, qui inde a prima inventute omnibus bonis artibus me institui curavit. Gymnasium regium gallicum, quod Berolini floret, frequentavi, ubi quae studio academico viam muniant, mihi comparavi. Anno MDCCCIX prima ex classe huius gymnasii rite dimissus, medicinae studendi, consilium cepi, sed parentibus calamitate afflictis, accidit ut ad artem pharmaceuticam transirem. Hac arte per triennium Berolini in officina Polonica quae dicitur exercitus, botanicae duce Cel. Hayne nec minus physicae et chemiae duce Cel. Turte operam dedi. Tum in officina Lippehnae oppidi Neo-Marchiae per annum munere pharmaceutae functus sum. A. autem MDCCCXIII



bello sacro exorto, quum Rex noster clementissimus pro patria et libertate defendenda inventum ad arma vocaret, per annum in nosocomiis militaribus versatus sum Pace reconciliata a perillustri Goercke superiore exercitus prussici chirurgorum praefecto Instituti regii medicorum chirurgiei Friderico - Guilielmani alumnorum numero adscriptus sum et ibi per triennium medicinae ac chirurgiae studio assidue incubui.

Quo ex tempore disciplinas philosophicas ex ore beati Kiesewetter hausi. Interfui lectionibus Cel. Lichtenstein de Zoologia, nec minus Ill. Rudolphi de vermibus intestinalibus. Omnibus quae ad anatomiam pertinent disciplinis Ill. Knape et Rudolphi me instituerunt. Frequentavi Ill. a Koenen Ill. Rudolphi et Cel Osann praelectiones de physiologia nec minus Cel. F. Hufeland de pathologia generali et semiotice, Ill. Horn de pathologia speciali. Cel Osann materiam medicam et Ill. Knape artem formulas medicas concinnandi me docuerunt. In therapia ab Ill. Ch. W. et F. Hufeland edoctus sum. Chirurgiam tam generalem, quam specialem et reliquas quae ad hanc pertinent disciplinas Ill. Graefe, Mursinna, Cel. Rust et Kluge mihi tradiderunt. Ill. Graefe autem lectiones de ophthalmiatrie et Cel Kluge de artis obstetriciae praeceptis interfui. Ill. Knape de medicina forensi et Cel. Link de Historia medicinae disserentes, audiui Exercitationibus clinicis tam medicis, quam chirurgicis Ill. Horn et Cel Rust adfui. Studiis ita absolutis, cohorti legionis XIV quae tunc temporis Moguntiam tenebat, assignatus et ibi per triennium chirurgi munere functus sum Idibus Iulii a MDCCCXX revocatus et collegio chirurgorum, legionis praetorianae primae adiunctus sum.

Iam vero tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore, ut disseratione hacce rite defensa, summi in medicina et chirurgia honores more maiorem in me conferantur.

---



## THESES DEFENDENDAE.

---

- I. Dentionem, morbum esse nego.
  - II. In Typho inflammationem aut cerebri, aut totius systematis nervosi, adesse haud negandum est.
  - III. Exstirpatio totalis uteri scirrhusi aut carcinomatosi, ceteris remediis in Scirrhus et Carcinomate uteri laudatis praeferenda mihi videtur.
-







## Explicatio tabulae.


---

1. 2. Papulae in maculam rubicundam gregatim collectae.
  3. Prominentiae quasi vesiculares.
  4. Squamae excultae in regione cubiti dextri.
  5. Fissurae profundae cutis (Rhagadas)
  6. Striae rubrae vel cicatrices, quae diu post sanationem ibi remanebant, ubi fissurae fuerant curis.
-


























The image shows the front cover of an old book. The cover is decorated with marbled paper featuring a pattern of large, irregular, light brown or tan-colored shapes separated by thin, flowing veins of blue, red, and yellow. The marbling is a classic 'stone' or 'shell' pattern. On the right side of the cover, there is a circular, light-colored label with the handwritten text 'XXVI' on the top line and 'C' on the bottom line. The book's spine, visible on the right edge, is made of a dark brown, worn material, possibly leather or cloth, and shows signs of age and use. The overall appearance is that of a well-used, antique volume.

XXVI  
C